



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 4. Fundata hæc erat in beneficijs à Deo acceptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

di verbis pio affectu plenissimis Vir sanctus suam erga Deum fiduciam testabatur. Et videtur non satis se posse hac in re explicare, nec invenire verba congrua, quibus sensa sua dignè exprimat. Idem diverso loquendi modo sæpissimè repetit, quia nihil sibi videbatur dicere quod animo suo satisfaceret, quamvis omnia sint plena amore & fiducia plusquam filiali. Alibi iterum loquitur in hæc verba: *Esto mihi in Deum protectorem & in locum refugii, ut salvum me facias, quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu.* psal. 30. Denique concludit unum ex psalmis suis quatuor quidem verbis, sed quæ alia omnia, ut S. ait Augustinus, verba complectantur: *Deus meus, misericordia mea.* Quid sibi volunt hæc verba, quærit S. Doctor, Deus meus, misericordia mea? Nunquid significare vult his vates, quod Deus sit refugium suum & præsidium, fortitudo sua, salus, pax, quies, voluptas & gloria sua? Omnino, hæc omnia, subdit, simul hisce significat & aliquid amplius.

§. IV.

Hac fiducia Davidus fundata erat in beneficiis à Deo acceptis.

Sed unde existimas promanasse tantam in sanctissimo hoc Rege fiduciam, quæ ipsam
in

in tot tantisque hostium insidiis, amulorum
calumniis & persecutionibus invidorum
reddebat securum, faciebatque intrepidum
in maximis cæli tempestatibus & terræ
multibus? Non aliunde profecto quam
certa cognitione vel experientia potius quo-
tidiana divinæ erga se providentiæ tantam
percipiebat securitatem. *Quoniam tu per-
sisti omnes adversantes mihi sine causa: deus
peccatorum contrivisti.* Super quem locum,
ait Augustinus latrare possunt, mordere non
possunt: invadant, non lædent: impellant, non
dejicient: vires suas contra me exserant, sed
non nocebunt: seipsos consumunt, non me.
Hac spe nixus dixit alibi: *Dominus qui eripuit
me de manu leonis & de manu ursi, ipse liberavit
me de manu Philistæi hujus.* *Eccl. 1. Reg. 17.*
Revocabat nimirum in memoriam multi-
plicia beneficia sibi à Deo præstita ab ado-
lescentiâ sua, & inde usque repetens confere-
bat inter se singula, ut confirmaret se spe pe-
ria obtinendi in posterum. Considerabat di-
vinæ dispositionis ordinem circa justos om-
nes à mundi nascentis initio tot seculorum
decursu paterna cura, amore & suavitate ad
mirabilem & efficacem ad perducendos illos
ad æternam beatitudinem. Hinc sumebat fi-
duciam similia sibi ab eadem munificentia spe-

sperandi. Quæ cogitatio incredibili eum affi-
 ciebat consolatione; ut testatur ipse his ver-
 bis: *memor fui iudiciorum tuorum à seculo Do-*
mine, & consolatus sum. psal. 118. & 77. Nara-
rantes laudes Domini & virtutes ejus: & mi-
rabilia ejus qua fecit. Quo fine, Propheta
Sancte? Ut ponant in Deo spem suam. Tota
 iste psalmus 77. unde hæc decerpta sunt, eo
 tendit ut doceat hominem in divino Numine
 ponere spes suas, ejusque opem in omni oc-
 casione implorare. Sed fortasse gratius erit
 cognoscere magnanimitatem piissimi Regis
 ex ipso potius exercitio quàm discursu ejus
 conceptæ in Deum fiduciæ; illud enim ut
 longè superat ejus ipsius verba, ita præclaro
 exemplo suo admirationem sui omnibus
 concitat, idcirco placuit illo concludere hunc
 secundum librum ut hætenus allata motiva
 ab ejus eximiis atque heroicis actionibus ob-
 signata confirmantur. Proponam illum in iis
 circumstantiis, in quibus nullæ præter divi-
 nam opem, creatæ vires præsidio illi esse po-
 tuerunt!

§. V.

David persecutionem patiens ab Absalone con-
servat animi tranquillitatem.

¶ Am alibi de hoc dicere cæpimus. David
 enim audito venire contra se instructo, ex-
 cr-